

## CLXXXVII.

1268, a. IV di Carlo d'Angiò re di Sicilia, XII ind., ottobre,  
Salerno.

Agnese, moglie di Alferio de Vallono, in assenza di suo marito, riceve da Bonaventura de Ala il pagamento di un'eredità di sei once d'oro. Dichiara di far ratificare dal marito, appena tornato a Salerno, la quietanza del credito e dà all'uopo garanzia su una sua proprietà sita sulla riva destra dell'Irno.

Archivio di Montevergine, vol. CX, n. 79. La pergamena è in cattivo stato di conservazione.

In nomine domini Dei eterni et salvatoris nostri Iehsu Christi, anno ab incarnatione eius MCCLXVIII et IV anno domini nostri Karoli gloriosissimi regis Hierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, alme Urbis senatoris, Andegavie, Provincie et Forchalquerii illustrissimi comitis, mense octobris, XII inductione. Ante me Iohannem Capudgrassum, iudicem, presentibus Iohanne, presbitero ecclesie S. Andree de Lama, Bartholomeo Granita et magistro Paulo de Ala, testibus subscribendis... Agnes, que est uxor Alferii \*\*\* de Vallono, ac filia quondam Guilielmi Cavasili-  
cis, olim prothontini Salerni, coniuncta est cum Bonavintura, qui dicitur de Ala, filio quondam Guilielmi. Ipsa tamen Agnes, pro parte supradicti Alferii viri sui, [recepit] ab eodem Bonavintura... sex uncias auri tarenorum monete Sicilie, in quibus idem Bonavintura eidem Alferio debitor erat ex causa mutui, secundum quod contineri dicitur in [quodam scripto] ipsius debiti coram Matheo Calvello, iudice, olim confecto \*\*\* quod ad presens ipsa Agnes se habere non posse asseruit, et voluit et obligavit se et suos heredes ut quam primum ad manus eius pervenerit, quod illud eidem Bonavinture et illius heredibus cancellandum debebat assignare et id efficere et curare ut, quamprimum suprascriptus vir eius in hanc civitatem reversus fuerit, suprascriptam receptionem ipsarum unciarum et remissionem per eam eidem Bonavinture factam ratam habeat atque firmam et in ea consentiat et faciat eidem Bonavinture et illius heredibus exinde per cartam, coram iudice, notario

et testibus, conficiendam talem cautelam secundum consuetudinem civitatis istius, qualem sapientes viri viderint faciendam. De quibus videlicet unciis \*\*\* remisit ipsi Bonavinture omnes calumpnias et cunctas actiones et questiones, quas ipsa Agnes seu suprascriptus vir eius \*\*\* adversus eundem Bonavinturam... quolibet modo... inferre seu proponere possent \*\*\*. Et si forte suprascriptus Alferius suprascripta omnia per eandem uxorem, sicut suprascriptum est, gesta ratificare nollet et contra eundem Bonavinturam et eius heredes exinde moveret questionem et dampnum, expensas propter hoc sustinerent, quod dampnum seu expensas ipsas idem Bonavintura et eius heredes salvas habeant super integrum terram cum orto, quam ipsa Agnes sibi asseruit pertinere foris hac Salernitana civitate, in loco Lirni, ista parte fluvii Lirni, et a parte occidentis vie coniuncta esse dicitur, et eam, si casus emerxerit, specialiter ac nominatim propterea voluntate spontanea obligavit. Unde... ipsa Agnes guadiam ipsi Bonavinture dedit et fideiussores ei posuit semetipsam, me suprascriptum Iohannem iudicem, iudicem Thomasium Manganarium, cognatum meum, filium quondam Landulfi, qui dictus est de Rogerio, et Iohannem, qui dicitur Grassis, filium quondam Iacobi, et \*\*\* obligavit se et suos heredes, si sicut scriptum est non adimpleverit, componere ipsi Bonavinture viginti augustales... et... tactis sacrosanctis evangelii, eidem Bonavinture... iuravit suprascripta omnia firmiter actendere et adimplere. Que suprascripta fecit secundum legem et Romanorum consuetudinem, qua vivit, renuncians velleyano et omni legum auxilio... et, presentibus Nicolao Cavaselice germano suo, et Petro Pappacarbone, consobrino suo, confessa est ipsa Agnes se... nullam vim seu violenciam fore passam... Que omnia ego Philippus, puplicus Salerni notarius, qui rogatus interfui, scripsi et meo signo signavi.

† Ego qui supra Iohannes iudex.

† Ego predictus presbiter Iohannes, testis sum.

† Ego predictus Bartholomeus, testis sum.

† Ego predictus magister Paulus, testis sum.